



Q. D. B. V.

N O V I

**P R O R E C T O R A T V S**  
**A V S P I C I A**  
**DIE V M. AVGVSTI A. MDCCCXLVIII**  
**R I T E   C A P I E N D A**  
**C I V I B V S**  
**INDICIT**  
**A C A D E M I A I E N E N S I S.**



# Q. VALERII CATVLLI

CARMEN LV

## **IN ANTIQVAM FORMAM RESTITVERE.**

CONATVS EST

# FERDINANDVS HANDIVS.

**I E N A E**  
**PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.**



D E I G R A T I A  
**C A R O L V S F R I D E R I C V S**

MAGNVS DVX SAXONIAE VIMARIENSIVM ATQVE ISENACENSIVM PRINCEPS  
LANDGRAVIS THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE PRINCIPALIS DIGNITATIS  
COMES HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII  
AC TAVTENBVRGI REL.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICENTISSLIMVS  
S. D.

**C I V I B V S.**

**A**rduum est in hoc, quo vivimus, tempore adire magistratum. Res publicae aut novae sunt factae, aut si quid obsoletum vel non satis aptum videtur, nihil impedit, quominus abrogetur et in aliam formam commutetur. Tamen civitas sine lege consistere nequit, nec leges sine magistratu. Nam sapienter Cicero praecepit haec: *videtis magistratus hanc esse vim, ut praefit, praescribatque recta et utilia et coniuncta cum legibus, vereque dici magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Nihil porro tam aptum est ad ius conditionemque naturae (quod quum dico, legem a me dici nihilque aliud intelligi volo) quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Quare et civibus necessitatem impositam videmus, eos, qui magistratum obtinent, non modo honorandi, sed etiam sua auctoritate vindicandi, et ii, quibus munera publica ut deferantur decretum est, fortissimo animo, etiam in turbulentis temporibus, officium exsequi ac tueri debent. Id vero eo facilius fieri potest, quo magis civium quisque ex sua parte omnia, quae agenda*

sunt, ad salutem reipublicae refert, nec pietatem ac fidem, tamquam invidiosa virtutum nomina, sinit everti.

Haec quae dixi admodum vulgaria et antiqua esse censemunt novarum rerum studioſi: tamen sunt praecepta, quae etiamſi omnibus cognita et animis quasi innata videantur, etiam apud prudentiores tantum valeant, ut repetita eorum mentio haud ingrata ad incitandam voluntatem officiosam commodissime adhibeatur. Atque sapientiae una est et sempiterna vis, nulli temporum vicissitudini obnoxia. Vobis autem, cives, quae hucusque erat vestra voluntas, nova offertur eam in posterum servandi opportunitas. Prodit enim novus proreector, a senatu academico electus, a principibus constitutus

E R N E S T V S R E I N H O L D  
PHILOSOPHIAE DOCTOR ET PROFESSOR P. O.

vir vobis iam satis cognitus. Philosophus est, qui e sapientiae fontibus doctrinam reipublicae gerendae hausit, celebratum habet nomen non tantum inter nos, sed etiam apud exteros, magna cum laude iam olim nec semel magistratum peregit, virtutibus excellit humanitatis et fortis animi: quid igitur restat, quod in hoc novo vestrarum rerum moderatore desideretis? Ipse suam sententiam oratione solemni, qua munus auspicabitur, cras in aula academica declarabit. Vos autem adeste boni ominis capiendi caufa. Reliqua, quae ad academiae honorem vestramque salutem pertinent, vestrae fidei atque prudentiae commissa sint. Nimirum, ut idem ille Cicero ait, *non solum praescribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus: nam et qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est, et qui modeſte paret, videtur qui aliquando imperet dignus esse.* P. P. in universitate litterarum ienensi die IV m. Augusti anno MDCCCXLVIII.

Q. VALERII CATVLLI  
CARMEN LV  
IN ANTIQVAM FORMAM RESTITVTVM.

---

**I**n carminibus Catulli quinquagesimum quintum, ad Camerium missum, non modo elegantiores homines admirabili venustate et festivo lepore delectabat, sed etiam viris doctis largam offerebat differendi materiem. Nam ne de venustate loquar, quae sentiri magis quam demonstrari potest, legem hendecasyllabo, quo carmen illud constat, scriptam quum multis in versibus repudiatam vidissent critici, dactylo in spondeum mutato, officii sui esse putabant, ut quae corrupta esse viderentur, corrigi et ad normam, unde versus ille nomen habet, redigi iuberent. Ipse Hermannus in Elementis doctr. metr. p. 368. scripsit: „Catullus uno tantum in carmine LV magno cum elegantiae detimento spondeum pro dactylo, nec semel admisit.“ Nobbius, qui de metris Catulli duos libellos edidit, nihil aliud egit, quam ut enumeraret, quot essent versus istius spondiaci generis. Siquidem vero iusta causa poetam commovit, ut a regula discederet, elegantiam non abolitam, sed significantius expressam censemus. Atque hanc caussam unus intellexit Isaac Vossius p. 121 monens: „studio Catullus in hoc passim epigrammate tam tardigrados captat numeros, ut suam exprimat lassitudinem.“ Quo perspecto Vossius, ut consilium poetae persequeretur, graviorem versuum formam, ubicumque fieri posset, vel de coniectura restituit, non ad id attentus, quod Catullus eximia cum arte efficerit. Quare operae pretium videtur, negligentiae suspicionem poetae elegantissimo innectani certis rationibus expositis removere.

Camerius, cui scripti sunt hi hendecasyllabi, quis fuerit, nescimus, nec quidquam refert ad explicandum ipsum carmen de eius genere aut persona querere. Amicus erat Catulli et, ut videtur, in vitae atque amoris commercio fidelis, sed tum temporis de-

clandestino quodam amore suspectus. Eum aliquando visitaturus Catullus omnes urbis regiones percurrit, nec usquam invenit, sed fatigatus hoc labore rem actam lepido carmine narravit et amicum precibus adiit, ut tandem aperiret, quo furtivo amore detinetur: nam in amore fruendo nihil magis obesse quam occultationem. Haec, quae levia sunt, elegantissimus poeta festivitate ita exornavit, ut nos artem non desideremus, facetiis admodum delectemur.

Neque vero Catullus tantum verbis animi sententiam declaravit, sed etiam metrum phalaicum, quod in dactylo cum trochaeis coniuncto non admittit contractionem, mutare eo consilio ausus est, ut fatigationem e longo cursu conceptam spondei gravitate depingeret. Idque sine iusto modulo factum esse opinantes critici, quocumque libri antiqui viam aperuerant, ad corrigendam scripturam progressi sunt. Non enim perspexerunt alternis versibus disticham esse formam, quam si auctoritate optimorum codicum restituerimus, etiam ipsi carmini elegantiae et festivitatis nomen vindicabimus. **Est** igitur metrum ita compositum:



Accedit aliud hoc. In omnibus antiquis libris, quorum communis origo in uno quodam exemplo perquam mutilato et corrupto quaerenda est, post carmen ad Coelium de Lesbia scriptum leguntur ~~de~~em versus, qui in memorandis cursoribus insignibus ad eundem, quo Catullus tantopere fatigatus erat, cursum spectant. Tantum vero abest, ut poetam de una hac re duo carmina fecisse et ad Camerium misisse existimemus, ut hos versus ad ipsum hoc carmen, de quo loquimur, pertinere censeamus. Atque causa, quapropter Catullus in his versibus integrum hendecasyllabi formam exhibuerit, in ipsa sententia cernitur, in qua non decuit cursorum numquam fatigatos celebrare languido versu.

Iam apponam carmen, ut legitur in recentissima editione, atque de iis exponam, quae vel auctoritate codicum constituenda vel ob metricam rationem accipienda videantur.

#### *Ad Camerium.*

*Oramus, si forte non molestum est,  
Demonstres, ubi fint tuae tenebrae.  
Te quaesivimus in minore campo,  
Te in circulo, te in omnibus libellis,*

- 7 -
- 5 *Te in templo superi Iovis sacrato,  
In Magni simul ambulatione:  
Femellas omnes, amice, prendi;  
Quas voltu vidi tamen sereno,  
Has vel te sic ipse flagitabam:*
- 10 *Camerium mihi, pessimae puellae.  
Quaedam inquit, nudum finum reducens:  
En hic in roseis latet papillis.  
Sed te iam ferre Herculei labos est.  
Tanto te in fastu negas, amice!*
- 15 *Dic nobis, ubi sis futurus, ede,  
Audacter committe, crede luci.  
Num te lacteolae tenent puellae?  
Si linguam clauso tenes in ore,  
Fructus proiicies amoris omnes:*
- 20 *Verbosa gaudet Venus loquela.  
Vel, si vis, licet obseres palatum,  
Dum vostri sim particeps amoris.  
Non custos si fingar ille Cretum,  
Non si Pegaseo ferar volatu,*
- 25 *Non Ladas si ego, pennipesve Perseus,  
Non Rhesi niveae citaeque bigae:  
Adde huc plumipedes volatilesque,  
Ventorumque simul require cursum,  
Quos iunctos, Cameri, mihi dicares:*
- 30 *Defessus tamen omnibus medullis,  
Et multis languoribus perefus  
Essem te, mi amice, quaeritando.*

Vs. 1. Quod in quibusdam libris legitur *oro, si tibi forte non molestum est, ab iis profectum est, qui dactylum necessarium existimabant, ne opinionem recentiorum*

criticorum, Gronovii, Burmanni, qui scripserunt *oramus tibi forte ni molestum est,* respiciamus. In eundem modum scriptit Martialis 1, 97. *si non molestum est teque non piget.*

Vs. 2. *tenebrae.* Quod Scaliger recepit *tabernae*, non ex ipsis antiquis libris sumptum est, sed legitur in duorum codicum Cacciae et Dorvillii margine. *Latebrae*, quod Mureto placuit, grammatici imperiti substituerunt. Cic. Agrar. 1, 3, 7. *hic permittit sua lege decemviris, ut in quibus commodum est tenebris, ut in qua velint solitudine bona populi romani possint divendere.* Martial. 2, 14, 11. *nec Fortunati spernit nec balnea Fausti, nec Grylli tenebras.*

Vs. 3. Plurimae editiones habent *te quae sivimus in minore campo e codicibus interpolatis.* Antiquiores praebent *te campo quae sivimus minore vel in minore.* Praepositionem omitti posse nemo dubitat. Liv. 21, 8, 7. *patenti campo :* ubi cod. Lovel. *in patenti.* Minor campus qui intelligatur ambiguum videri potest. Plurimi interpretes, Nardinum sequuti, minorem campum eum fuisse arbitrabantur, qui alio nomine apud Plinium hist. nat. 34, 6, 11 *campus tiberinus*, apud Gellium 6, 7 *tiberinus five martius* vocaretur et a Strabone 5, 3, 6. verbis ἄλλο πεδίον significaretur. Non abhorret a veritate (quae est sententia Prelleri in Region. urbis rom. p. 159.) illud ἄλλο πεδίον fuisse eam campi partem, quae, proprius ad Tiberim sita, per aedificia interposita a campo martio se iungeretur: nullum tamen documentum exstat, quo demonstremus, hanc partem *minoris* nomine esse appellatam. At certum Catullus cursum tenuit per totam fere urbem: incepit a Coelimontio, quae erat regio secunda, processit ad circum maximum, inde ad capitolium, tum se convertit ad nonam regionem, in qua erat porticus Pompeii: alioquin si martium campum intelligimus, necesse est statnamus, eum e nona regione exiisse et rursus ad eam rediisse: quod parum probabile videtur. Duplex enim in his locis nominandis considerandum est, propinquus locorum situs et eorum frequentatio. Scilicet non alia nominantur loca, quam in quibus iuvenes delectationis caussa commorari solebant. Erat autem in monte Coelio campus martialis, de quo Paulus Diaconus ex Festi libris p. 96. Lindem. *Martialis campus in Coelio monte dicitur, quod in eo equiria solebant fieri, si quando aquae Tiberis campum martium occupas- sent.* Haec verba ad opinionem perducunt, illum campum minoris nomine fuisse appellata.

tum: nam vicem maioris obtinebat. An vero illud ἄλλο πεδίον Strabonis ad campum Agrippae referendum sit, uti Beckerus Antiq. rom. Tom. I. p. 600. arbitratur, valde dubitamus: id autem contendimus, hunc campum non a Catullo minorem vocari. In campo martiali aequa atque in martio iuvenes convenisse videntur, ut, quod Strabo narrat, σφαῖρα καὶ κίρκω καὶ παλαιστρα se exercent: ibique Catullum quaesivisse amicum suum verisimilius est, quam apud fluvium, in quo iuvenes lavarentur, quae est Prelleri sententia.

Pergit Catullus ad circum maximum. Hunc enim simplici nomine circi nōminare solebant, non flaminium. Ad circum autem in regione undecima condita erant lupanaria et tabernae. De negotiis meretricum ad circum vide Juvenal. 3, 65. Ernest. ad Taciti Annal. 15, 28. Garaton. ad Cic. p. Mil. 24. Tum Catullus adscendit Capitolium, in quo templum Iovis. Ibi non modo senatus interdum habebatur, sed et aliae congresiones, et conveniebant homines non tantum sacrorum faciendorum caussa. Sic Amphitruо apud Plautum Naucratem quaerit *apud omnes aedes sacras* 4, 1, 5. Inde Catullus pervenit ad Pompeii porticum, in regione nona locum, in quo elegantiores spatiari consueverunt. Ovid. Art. am. 1, 67.

Vs. 4. Omnes libri praebent *te in omnibus* praeter dresensem, qui habet *teque omnibus*. Copulae nullus hic locus est. Servanda autem est antiqua scriptura, nec vocabula contrahenda. Vocalis enim longa, elisione non admissa, corripitur, praesertim in dactylo, velut apud Horat. Sat. 1, 9, 30. *si me amas*; apud Virgil. Aen. 6, 507. *arma locum servant: te, amice, nequivi conspicere.*

Plurimi libri exhibent *libellis*, quatuor *labellis*, quod Palladius et Statius de labris sive balneis dictum putabant, tres *plateis*, duo *locellis*, tres *tabernis*. Quod Guarinus scripsit *tigellis* i. e. tuguriolis, in uno codice exaratum inveni. Nec comprobare debebat Schräderus *tabernis*, nec Heinsius *plateis*: quae cum reliquis speciem glossematis prae se ferunt. Interpretes in *libellis*, eum loquendi usum, quo Aristophanes Equit. 1375 ἐν τῷ μύρῳ pro μυροπωλίᾳ Vesp. 755 ἐν τοῖς ἵχθύσι dixit, ad Romanos referentes, lepidam sententiam expressam viderunt, quasi Catullus amicum suum litterarum studiis occupatum apud librarios quaesivisset. Atque hanc sententiam tum demum approbare

potueris, quando difficultatem, quae in nomine *libellorum* appareat, removeris. Nimirum constat tabernas fuisse, in quibus libri venditarentur (Cic. Philipp. 2, 9, 2l. Horat. Sat. 1, 4, 7l.) ibique consedisse, qui novos libros legerent. Gellius 5, 4. *apud Sigillaria forte in libraria ego et Iulus Paulus poeta — confederamus.* 13, 30. Commemorantur eius generis tabernae in Argiletto a Martiali 1, 118, 9. unde 1, 4, 1. *argiletanae tabernae* dictae sunt, et ad forum Palladium 1, 3, 8., in Sandalario apud Gellium 18, 4. At vocabulum *libellorum* non certum habet testimonium. Nam quod legitur in Priapeis 2, 1. *ludens haec teste te, Priape, horto carmina digna, non libello,* nihil obstat, quominus explicemus: carmina digna, quae in horto tabulae inscribantur, non in libro edantur: nam Quintil. 12, 10, 50 ait: *quod libris dedicatur, et in exemplum editur tersum et limatum et ad legem ac regulam compositum esse oportere.* Martial. 5, 20, 5. *gestatio, fabulae, libelli, campus, porticus.* In his *laberibns* libelli sunt librorum lectio. Eodem modo Livius 29, 19, 12. *libellis eum palaestraque operam dare.* Graecorum autem usus etiam si a Polluce 9, 5. satis est demonstratus, tamen an Latini eum imitati fuerint, nemo declaravit exemplis *vini* pro vina-ria taberna, *argenti* pro argentaria, *casei* pro casearia dicti. Sed Plautus Epid. 2, 2, 13. *per omnem urbem quem defessus sum quaerere, per medicinas, per tonstrinas, in gymnaſio atque in foro, per myropolia, lanienas circumque argentarias.* Cf. Amphitr. 4, 1, 3. Ex reliquis scripturis unum illud *tabellis* in considerationem venit. Tabellae autem sunt tabernae minores, qualem Varro de Re rust. 3, 2, 1. memorat.

Vs. 5. Optimi et plurimi codices praebent *summi*, quod scribae, ut metro medelam adhiberent, in *superi* mutarunt.

Vs. 6. Necessarium erat, ut verba in *Magni simul ambulatione* cum iis, quae sequuntur, interpunctione mutata, coniungerentur: id quod etiam Lachmannus perspexit. Alioquin v. *simul* non posset intelligi. Dictum enim est, ut 11, 13 *omnia haec, quae cumque feret voluntas, tentare simul parati.* *Amice* ne cum aliis pro adverbio accipiamus, ipsa natura verbi *prendere* vetat. Nemo umquam loquutus est *aliquem amice prendere.*

Vs. 8. Hic locus in iis est, in quibus speciosa argumenta ab utraque parte iudicium occupant. Libri scripti duas habent lectiones *vultu vidi sereno* et *vultu v. serena*

vel *serenas*. Illud, quod in plurimis editionibus exstat, *vultu vidi sereno* interpres ad Catullum referebant, ut *videre* dictum esset pro *adspicere*: quod fieri non potuit. Nam quae Lachmannus ad Propert. I, I, 12. comparat exempla, nihil efficiunt ad comprobandum hunc usum. *Videre* in ipsis locis dicitur pro *visere*, accedere ad aliquem, vel apud aliquem versari. Manil. 5, 44. *totumque volet tranare profundum pupibus atque alios menses aliumque videre Phasin.* i. e. *visere Phasin.* Virgil. Aen. 3, 429. *praeſtat Trinacrii metas luſtrasse Pachyni ceſſantem — quam ſemel informem vasto vidiffe ſub antro Scyllam* i. e. *adire.* Propert. I, I, 12. *ibat et hirſutas ille videre feras,* intellige accedere, inter feras versari, ut I, 9, 19. Si igitur Catullus ita scripsit, narrat se in hac investigatione etiam ad feminas accessisse, easque non moroso sed sereno vultu adiisse, tum vero ita compellasse, ut ira cum ioco misceretur. Quod ipsum non absurdum videtur. Alii intellexerunt puellarum vultum. Tum poeta dicit se prendisse puellas omnes, scilicet eas, quas non morosas, sed serenas vultu vidisset. Serenus vultus enim ita dicitur ab Horatio Carm. I, 37, 25. et a Suetonio Aug. 46. Praefstat ergo scriptura *serenas*, quam Muretus et Lachmannus receperunt. Ceterum quatuor libri suppeditant id, quod versuum rationi convenit, *video*. Id mutatum est a librariis ob temporis diversitatem. At libertas elegantioribus scriptoribus, imprimis poetis concessa, qua praesens cum perfecto, nec tantum in narratione componitur, aliquanto latius patet quam grammatici existimant, unum vocabulum *dum* tenentes. Propert. 2, 7, 1. *gavifa es certe ſublatam, Cynthia, legem, qua quondam edicta flemus uterque diu.* Virgil. Aen. 2, 663 *hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis eripis.* Conf. Hermann. de particula ãv. p. 39.

Vs. 9. Codices mirifice variant. Legitur *a velite, avellite, avelite, aulite, a velle, ah vellite, ah vel te, auli et.* Scaliger pro *a* dedit *has*, quod librarii, si ante oculos habuissent, certe non mutassent: *ah* quod in duobus libris inveni et cum Webero Lachmannus recepit, in allocutione admitti posset, ab hac narratione prorsus alienum est. Reliquas virorum doctorum coniecturas praetereo tenens hoc, scribendum esse *at vel te sic ipſe flagitabam.* At suum locum hic eo modo occupat, quo antecedente tamen rursus ad sententiam interpositis verbis restrictam reducit, veluti *sed* apud Cic. ad Att. 6, 2. *pro Appio nos hic omnia faciemus, honeste tamen, sed plane liben-*

ter. *Vel* prope accedit ad significationem vocabuli *immo*, quocum etiam componitur. Plaut. Truc. 3, 4, 22. Cic. de Rep. 3, 34. *sed tamen vel regnum malo quam liberum populum.* *Ipse* est ipse ego, qui non soleo ita cum puellis loqui.

Vs. 10. Ab omnibus libris antiquis abest vocabulum *sinum*: habent autem *nudum reduce*, *nudum reduc*, parisiensis (8458) *nudum reducens*. Correctores addiderunt in quibusdam libris *tibi* post v. *inquit*. *Sinum* addidit Avantius, ab editoribus receptum. Explicant *nudum sinum reducere* esse nudare pectus: sed quomodo id latine diceretur, nemo monstravit, nec quae alia comparant exempla quadrant. Nam apud Claudianum in Eutrop. 1, 36. *leviter reductis vestibus*, dictum est de spadone, qui ancillam prehendit et a tergo arreptis vestibus subsistere iussit. Seneca Herc. Oet. 1668 *mater in luctum furens deduxit avidum pectus*: quae ad Catulli verba non possunt referri. Hic autem ipse dixit in carmine de coma Berenices v. 81 *nudantes reiecta ueste papillas*. Quid vero intelligendum esset, cognitum habuerunt ii librarii, qui extremo versu addiderunt *eum*: quid restituendum, servarunt codices veronensis et guelferbytanus et margines trium librorum. Scribendum enim est *quaedam inquit, tu nudulum reduce*; intellige Camerium, qui quam iocoſe appelletur *nudus*, non est quod exponam. In diminutiva forma apparet Catulli mos. Ita v. 17. *lacteolae puellae*. 3, 18. *turgiduli ocelli*. Atque ipsum hoc vocabulum habet Spartanus in carmine Hadriani c. 25. *Reducere* proprie usurpatur eo modo, quo Terentius Hec. 4, 2, 29. *reduce illam*.

Vs. 13. Scaliger restituit *ferre*. Interpolatio facta erat in antiquis editionibus *sed te quaerere iam Herculis labos est*.

Vs. 14. *Fas*us proprie dicitur de iis, qui in amore difficiles consuetudinem detrectant. Vide Burmann. ad Propert. 3, II, 9. In eamden sententiam dicitur *negare*. Emendatione, qua Muretus scripsit *tanto ten' fas tu negas*, non opus est, nec interrogationis formam subit oratio, quae magnitudinem rei miratur. Pro *amice* codex palat. papyr. praebet *amico*, quod non modo non displicet, sed restitutis, qui hic exciderunt, versibus nescio an praestet.

Vs. 15. Guietus coniecit *dic nobis, ubi sis: securus ede*. At omnia sana sunt verba. Sententia est: *dic, ubi te inveniam*. Vossius scripsit *ede hoc*, quod in editionem cantabrigensem receptum. Codices non adstipulantur.

Vs. 16. Vitiosae scripturae *hoc committe, comite crede lucet*, criticorum ingenia exercuerunt, sed frustra. *Hoc addiderunt glossatores, lucet male erat scriptum pro lucei.* Sic etiam omnes libri pro *num* habent *nunc*. Miror autem Perreio et Heinsio et Santenio in mentem venisse coniicere *papillae*, quod cum *lacteolae* coniungendum ingrata offendit specie. Martial. 3, 55, 22. *cingunt serenum lactei focum vernae i. e. candidi, pulchri.*

Vs. 21. Vossius, qui legi iussit *vel signis licet obseres palatum*, non perceperat elegantiam dictionis, quae haec est: amores occultans negligis id, quod in amore maximopere iuvat: si tamen loqui non vis, certe me participem fac tenebrarum tuarum, Scriptura quorumdam librorum *dum nostri sis particeps amoris alienam admiscet sententiam.*

Vs. 23. Hos decem versus, qui post carmen ad Coelium scriptum in codicibus leguntur, non per se stare posse, sed e carmine, de quo agimus, sumptos esse, nemo dubitat. Quo autem loco restituendi sint, ambigitur. Plurimi editores eos ad extremum carmen apposuerunt, quod approbari propterea nequit, quia in versibus 21 et 22 id expressum videmus, quo uno ipsum carmen finiri poterat. Muretus et Statius eos collocauerunt post versum duodecimum. Tum vero non commode procedit oratio verbis: *sed te iam ferre* etc. Quare nihil aptius elegantiusque fieri potest, quam ut istos versus post versum decinum et tertium restituamus. Hendecasyllabi in nominandis cursoribus numquam fatigatis non gravantur, attamen ubi rursus languoris fit mentio, redit illa languida versuum alternantium forma. Ceterum in hac soluta oratione, in qua poeta verbis *non si singar* incipit, tum alio se vertens verbum omittit, agnosco consilium. quo ille conditionem suam designaverit. Anhelare eum audimus.

In primo horum versuum codices servavit veram scripturam *non custos si ego singar*: in tertio ab omnibus abest *fi*. Sed *ego* recte interponitur rursus, ut nomina Ladae et Persei habeant quo referantur. Durities autem, quae in verbis *non Rhesi niveae citaque bigae* offendit, excusari posset, nisi libri optimi suppeditarent *nivea citaque biga*. ubi intelligamus *ferar* ex antecedentibus. Pro *iunctos* in multis codicibus legitur *vinctos*.

Schraderus coniecit *cunctos*, haud male. Ia extremo versu nescio cur editores recentiores antiquam scripturam *mihi* commutaverint.

His expositis carmen in integrum formam suam restitutum ita se habet.

- Oramus, si forte non molestum est,*  
*Demonstres, ubi sint tuae tenebrae.*
- Te campo quaefivimus minore,*  
*Te in circo, te in omnibus libellis,*
- 5 Te in templo summi Iovis sacrato.**
- In Magni simul ambulatione*  
*Femellas omnes, amice, prendi,*  
*Quas vultu video tamen serenas.*
- At vel te sic ipse flagitabam:*
- 10 Camerium mihi, pessimae puellae.**
- Quaedam inquit: tu nudulum reduce:*  
*En hic in roseis latet papillis.*
- Sed te iam ferre Herculei labos est.*
- Non custos si ego fingar ille Cretum,*
- 15 Non si Pegaseo ferar volatu,**  
*Non Ladas ego pennipesve Perseus,*  
*Non Rhei nivea citaque biga,*  
*Adde huc plumipedes volatilesque*  
*Ventorumque simul require cursum :*
- 20 Quos iunctos, Cameri, mihi dicares,**  
*Defessus tamen omnibus medullis*  
*Et multis langoribus perefus*  
*Effem te mihi, amice, quaeritando.*
- Tanto te in fastu negas amico?*
- 25 Dic nobis, ubi sis futurus: ede**  
*Audacter, committe, crede lucei.*
- Num te lacteolae tenent puellae?*

*Si linguam clauso tenes in ore,  
Fructus proiicies amoris omnes.*

**30** *Verbosa gaudet Venus loquela.*

*Vel si vis, licet obseres palatum,  
Dum vostri sim particeps amoris.*

---